



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. I. Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

pugnat manu, & recipit coronam in capite. Licet ergo meritum, & tendentia in ultimum finem, ad voluntatem pertineant: ejus tamen consecutio ad intellectum spectat, & fit, ut ita loquar, manu intellectuali.

165. Ad ultimam probationem distinguo Majorem: ut formaliter est summum bonum, si particula ut reduplicet rationem quæ attingitur per consecutionem, concedo Majorem: si reduplicet rationem sub qua attingitur, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Solutio patet ex dictis supra art. 2. §. 2. in solutione secundæ objectionis: ibi enim ostendimus, quod licet beatus per beatitudinem formalem assequatur Deum ut summum bonum & ultimum finem, ratio tamen sub qua illum consequitur, non est ratio boni, sed ratio veri: unde D. Thomas infra qu. 19. art. 3. ad 1. ait quod bonum prius pertinet ad intellectum sub ratione veri, quam ad voluntatem sub ratione boni & appetibilis.



## DISPUTATIO IV.

## De proprietatibus formalis beatitudinis. C

Ad questionem 4. D. Thoma.

**E**XPLICATA essentia beatitudinis formalis, consequens est ut ejus proprietates declarem: illæ autem præcipue sunt tres: scilicet amor, delectatio, & impeccabilitas: de quibus in hac disputatione differemus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

## An beati necessariò diligant Deum quantum ad exercitium. D

## §. I.

Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur.

1. **C**ERTVM est quod beati perpetuo & non interrupto amore charitatis diligant Deum per totam æternitatem. Ita enim ex pluribus Scripturæ locis colligitur, præsertim ex illo 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit, sive prophetia evacuabuntur, sive lingua cessabunt, sive scientia destruetur*: id est exercitium gratiarum & miraculorum, prophetiæ, usus linguarum &c. imò etiam exercitium virtutum fidei & spei cessabit in cælo: at nunquam ibi cessabit exercitium actuale charitatis. *Deus enim* (inquit Augustinus) *sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fætigatione laudabitur.*

De civitate lib. ultimo cap. ultimo.

Adde quod Scripturæ passim asserunt beatos æterna, & nunquam interrupta jubilatione laudare Deum, eique benedicere: Apocal. 4. *Nonne & die non habent requiem, dicendo, sanctus &c.* Et Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*: At hæc jubilatio continet excellentissimum exercitium actuale charitatis in Deum; nam illa est congratulatio Deo de infinitis ipsius perfectionibus, & quasi votum & deprecatio ut hæc in æternum illi convenient, ut revera convenient;

unde Apocal. 7. Sancti dicunt: *Benedictio & sapientia, honor, virtus, & fortiundo Deo nostro in secula seculorum*: Ergo beati perpetuo & non interrupto amore diligant Deum per totam æternitatem.

Solum ergo difficultas est, an talis amor, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium sit necessarius, ita ut beati non possint à tali dilectione cessare, vel actum illum interrumpere? Scotus enim in 1. dist. 1. qu. 4. asserit illum esse ex sua natura liberum & contingentem; etiam ab intrinseca Dei providentia, tollente omnia quæ possent à charitate divertere, habeat quod in æternum sit duraturus. Thomistæ verò cum S. Doctore 1. p. quæst. 82. art. 2. contendunt illum esse ex sua natura necessarium quoad exercitium, quamvis ab extrinseco & de absoluta potentia cessare possit.

Dico igitur: Beatus necessariò diligit Deum quoad exercitium, ita ut non sit in ejus libertate vel potestate à tali actu cessare.

Probatur conclusio ratione fundamentalis: Voluntas, cum sit appetitus rationalis, & sequatur ductum ac dictamen rationis, non potest cessare ab aliquo actu, nisi in eo intellectus concipiat aliquam rationem mali, vel in ejus cessatione aliquam rationem majoris boni: Sed nullum horum potest judicare beatus de amore Dei: Ergo non potest ab actu amoris cessare. Major patet, Minor probatur. In patria actus amoris est jucundus & facilis; cum charitas in patria sit veluti in suo centro, utpote conjuncta cum clara Dei visione, & regulata per lumen gloriæ; neque esse potest lassitudo aut defatigatio in ejus exercitio, cum non dependeat ab aliquo organo corporeo; visio enim, ad quam sequitur, non est per conversionem ad phantasmata: denique clara Dei visio non compatitur judicium erroneum, quod beatus judicet esse illi bonum, cessare ab amore Dei; sed beatus semper habet actum contrarium, quo judicat illi esse bonum, continuò adherere Deo per amorem, & ab illo nunquam divelli, ita ut non possit voluntas intellectum ab eo judicio, vel per unum instans divertere: Ergo &c.

Confirmatur: Homo in via necessitatur quantum ad specificationem ad volendum bonum ut sic, abstractum à vero & apparenti: non verò quantum ad exercitium; quia fragilitas hominis pro hoc statu non patitur illum operari sine intermissione, nec esse in continua consideratione boni: in patria verò per claram Dei visionem continuò representatur infinita bonitas summè diligibilis, & continens omnem rationem boni fatiativam appetitûs, juxta illud Exodi: *Ego ostendam tibi omne bonum*: Ergo beatus in patria necessariò diligit Deum, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, nec potest à tali dilectione cessare.

Confirmatur amplius: Divina voluntas, ex eo quod intellectus divinus videt essentiam suam, determinatur ad amorem sui naturallem & necessarium quoad exercitium: Ergo idem dicendum est de voluntate creata, si clarè videt divinam essentiam. Probatur consequentia: quia voluntas divina perfectior est, & liberior omni voluntate creata: Ergo si non obstante hac perfectione & libertate, ab objecto infinito determinatur & necessitatur quoad exercitium; idem à fortiori dicendum est de voluntate creata videntis essentiam divinam;

cum enim illa sit imperfectior, multo magis infinitas objecti vici vincet eius libertatem, & necessario trahet illam post se.

6. Dices primo: Ideo voluntatem divinam necessario quoad exercitium Dei bonitatem diligere, quia cum sit infinita & actus purus, necessario debet esse in actu; voluntas vero creata cum sit finita, & potentialis, non exigit esse semper in actu.

Sed contra: Ex hoc quod divina voluntas semper debeat esse in actu, solum sequitur esse necessitatem vagam ad amorem alicujus objecti, non autem colligitur illam ex natura sua esse determinatam & necessitatem ad amorem bonitatis divinæ: Ergo talis determinatio & necessitas ex infinitate bonitatis divinæ clarè cognita oritur, & non aliunde.

7. Dices secundò, voluntatem divinam infinite diligere propriam bonitatem, & ideo necessario illam diligere: quod in voluntate nostra non contingit.

Sed contra primò: Non obstante quod divinus intellectus seipsum intelligat modo infinito, intellectus vero creatus Deum intelligat finito modo; uterque tamen necessitatur ab infinito objecto, si debite applicetur, & ex parte nostra adfuit vires: Ergo pariter, non obstante discrimine assignato, voluntas creata necessario inclinatur in infinitum objectum, si supponas ut vires in ipsa, & aliàs debite per claram visionem objectum illi applicetur. Deinde in hoc quod est ab objecto infinito clarè cognito necessitari, nulla relucet infinitas: Ergo etiam si voluntas nostra modo finito divinam bonitatem attingat, poterit necessitari ab illa, si clarè & evidenter cognoscatur.

8. Respondebis tertio, bonitatem divinam esse objectum primum, connaturale, & proprium voluntatis divinæ, non vero create; & ideo illam necessitare, non vero istam.

Sed contra: Licet bonitas infinita Dei non sit objectum primum & connaturale voluntatis nostræ absolute, est tamen objectum primum & connaturale illius, ut charitate informata; & aliàs non minus, imò magis propendet in bonitatem divinam, quam in propriam bonitatem; sicut partes inclinant magis in conservationem capitis & totius, quam in propriam conservationem: Ergo hæc ratio discriminis non valet.

9. Probatur secundò conclusio: Sicut in nostro intellectu invenitur ratio discursivi, respectu conclusionum, & ratio intellectivi sine discursu, respectu principiorum; ita in voluntate nostra reperitur modus agendi naturaliter, & modus agendi liberè: Sed ratio naturæ respectu nullius objecti potest melius exerceri, quam respectu objecti infiniti clarè & evidenter cogniti; cum enim infinitam bonitatem contineat, est motivum adæquatum illius, & omnem ejus vincit indifferentiam, & implet capacitatem: Ergo sic cognitum diligitur necessario.

10. Dices, illud diligi necessario quoad specificationem, non vero quantum ad exercitium.

Sed contra primò: Sicut in voluntate reperitur modus agendi liberè quoad specificationem, & modus agendi necessariò, etiam quoad specificationem: ita etiam possunt illi convenire libertas exercitij, & necessitas quoad exercitium: Sed hæc respectu nullius objecti potest melius exerceri, quam respectu boni infiniti,

per visionem claram propositi: Ergo illud clarè visum diligitur necessario, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium.

Secundò, In appetitu brutorum, & in motibus subitis & primò primis, potentia non potest suspendere suum actum, eò quod operetur naturaliter, & sine indifferentia judicij ad agendum vel non agendum: Sed amor beatificus procedit à voluntate ut operante per modum naturæ, & absque indifferentia judicij ad agendum vel non agendum, ut patet ex supra dictis: Ergo non potest illum actum suspendere, seu ab illo amore cessare.

S. I.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: D. Thomas qu. 22. de verit. art. 6. sic ait: *Inest libertas voluntati in quolibet statu natura, respectu cujuslibet objecti*: Ergo in statu beatitudinis, & respectu objecti beatifici, voluntas est libera, saltem quantum ad exercitium actus. Unde idem S. Doctor infra qu. 10. art. 2. agens de modo quo voluntas movetur à suo objecto, dicit quod *Voluntas movetur dupliciter, uno modo quantum ad exercitium actus, aliò modo quantum ad specificationem actus, quæ est ex objecto*. Et subdit: *Primo modo voluntas à nullo objecto ex necessitate movetur*.

Respondeo primò, D. Thomam in his locis solum loqui de quolibet statu hominis intraviam, & de objectis à quibus voluntas hominis viatoris movetur, non autem de statu beatitudinis, & de Deo clarè viso; ut patet ex ratione quam adjungit ultimo loco: *Potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare*. Quæ ratio solum verificari potest pro hac vita, & de objectis à quibus voluntas hominis viatoris movetur; non vero de Deo clarè viso, à quo beatus non potest cogitationem suam avertere; cum visio beatifica sit invariabilis, & careat omni alternatione & mutatione.

Respondeo secundò: dato quod D. Thomas loquatur de omni objecto universaliter, etiam de Deo clarè viso, solum intendit quod voluntas à nullo objecto, sub formalitate objecti, seu quantum est ex vi objecti, movetur necessario quoad exercitium. Nam ut rectè ibidem observat Caictanus, hoc interest discrimen inter necessitatem quoad specificationem, & necessitatem quoad exercitium, quod prima est circa objectum, & ex objecto provenit; secunda vero, etiam voluntati circa objectum conveniat, non tamen provenit ex illo, sed ex propria voluntatis natura; quæ quia libera & naturalis est, aliquando ut libera, aliquando ut naturalis operatur: primum ei convenit circa objectum cum indifferentia propositum; secundum vero circa objectum propositum sine indifferentia judicij. Hujus autem ratio est: quia objectum non movet voluntatem quoad exercitium, sed solum quoad specificationem; & ideo necessitas quoad specificationem provenit ab objecto, necessitas vero quoad exercitium, à principio effectivo, scilicet à voluntate ut per modum naturæ operante.

Obijcies secundò: Charitas viæ, & charitas patriæ sunt ejusdem speciei & intentionis, imò interdum charitas viæ intensior est amore patriæ; nam amor Beatissimæ Virginis, dum adhuc erat in viæ, amorem omnium Beatorum superavit: Sed amor viæ non est necessarius,